

T3

*Andromacha Aechmalotis fr. XXVII***L'angoscia della guerra**

ACHIVUS	Qui rem publicam certo animo adiuverit, statuerit, steterit cum Achivis. Re dubia haut dubitarit vitam offerre nec capiti pepercerit.
ANDROMACHA	Vidi, videre quod me passa aegerrume, Hectorem curru quadriiugo raptarier. Ex opibus summis opis egens Hector tuae. Quid petam praesidi aut exequar? Quove nunc auxilio exili aut fugae freta sim? Arce et urbe orba sum. Quo accedam? Quo applicem? Cui nec arae patriae domi stant, fractae et disiectae iacent, fana flamma deflagrata, tosti [...] stant parietes, deformati atque abiete crispa. O pater, o patria, o Priami domus, saeptum altisono cardine templum, vidi ego te adstante ope barbarica, tectis caelatis laqueatis, auro ebore instructam regifice. Haec omnia vidi inflammari, Priamo vi vitam evitari, Iovis aram sanguine turpari.